NATALICIA
REGIS AVGVSTISSIMI
G V I L E L M I
IMPERATORIS GERMANIAE

AB

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

DIE XXII MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXII

IN AVLA MAGNA HORA XII PVBLICE CONCELEBRANDA

RECTORIS SENATVSQVE AVCTORITATE

INDICIT

EDVARDVS LVEBBERT

PRAEMISSA SVNT MELETEMATA
DE PINDARI CARMINVM QVIBVS OLYMPIAE ORIGINES CANIT FONTIBVS

BONNAE

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

1. Pindari carmina Ol. X. III. I. licet temporibus diiuncta sint unam tamen triadem efficere.

Tria sunt Pindari carmina, quibus Olympicorum ludorum origines cecinit; eorum vetustissimum est carmen Ol. X (XI) in Agesidamum puerum Locrum Epizephyrium, pugilatu victorem anni Ol. 74, 1 (484 a. Chr.). Haec oda non sine probabilitate primum omnino Pindari carmen, quod in Olympicam ille victoriam composuerit, creditur, cf. Leopoldum Schmidtium, de Pindari vita et poesi p. 92. Deinde in eodem argumento versantur carmina duo, quae duorum virorum in eisdem ludis Olympicis anni Ol. 76, 1 (476) victorum laudibus celebrandis scripta sunt: carmen Ol. I in Hieronem, celete victorem, et Ol. III in Theronem Aenesidami filium, Agrigentinum, curru victorem. Atque hanc quam significavi, temporum computationem ut amplectar, primum in carmine Ol. III Boeckhi egregia argumentatio in Explicatt. p. 114. 119 me permovet, qui e scholiastae ad Ol. II, 166 p. 85 incerta definitione ὁ δὲ Θήρων ος' ἢ οζ' ἐνίκησε (cf. sch. ad v. 168) priorem olympiadem veram esse eo maxume nisus argumento evicit, quod Theron tempore ludorum Ol. 77, 1 actorum iam non inter vivos fuerit, Diod. XI, 53. Carmen vero Ol. I, de cuius anno magis dubitatur, a Bergkio ad eandem olympiadem recte revocatum videtur, quoniam bis omnino Hieron celete vicit, Paus. 8, 42, 9 τεθρίππῳ μὲν ἅπαξ, μουνοκέλητι δὲ δίς, Ol. 76 et 77; in hoc vero carmine Ol. I nullius, quae vetustior fuerit, victoriae Hieronis mentio fit. Itaque sola olympias 76 relinquitur, cui adsignandum sit carmen.

Vnum est, quod huic computationi repugnare videri possit. Quo tempore carmen Ol. I in Hieronis aula cantatum est, ipse Pindarus Syracusis in hospitio regis adfuisse creditur, Pind. Ol. I, 10 ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους || μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν et v. 17 οἷα παίζομεν φίλαν || ἄνδρες ἀμφὶ θαμὰ τράπεζαν. Sed aliud praeterea carmen Pindari eodem anno Ol. 76, 1 compositum est, cui canendo non minus ipse Pindarus adfuit in Orchomeno urbe Boeotica, carmen Ol. XIV in Asopichum puerum cursu victorem; de huius carminis anno scholiasta indubitato testimonio dicit ad v. 1 p. 292 Ἀσωπίχῳ] οὗτος ἐνίκησε τὴν ος' Ὀλυμπιάδα σταδίῳ. Sed haec licet verissima sint, minime tamen impediunt, quominus Pindarum credamus, posteaquam Orchomeni carmini agendo interfuerit, eodem auctumno etiamtunc in Siciliam navigasse.

Sed haec tria carmina, quibus Olympiae origines enarravit Pindarus, licet illud, quod primum compositum est, ab reliquis duobus octo annorum intervallo diiunctum sit, tamen unum in universum consilium sequuntur unamque triadem efficiunt, quod non tam

in fabularum, quas narrat poeta, cognatione nititur, quam in sententiarum, quae subiectae sunt his carminibus concentu quodam et vinculo interiore. Atque hoc ita se habere, si quae summa sententia in unoquoque insit paullo accuratius examinemus, ilico adparebit. Primum Ol. X puero pugili scriptum egregie hoc praeceptum illustrat: *in altero conatu mirificam quandam felicitatem et victoriae pignus esse.* Hoc cum olim demonstravimus in commentatione de Pindari carmine Ol. X (Kiliae, 1881), tum novo argumento nunc firmare possumus. Agesidamus puer in certamine cum diversis adversariis vehementius ingruente perturbatus et confusus videtur eum in modum, ut vacillaret paullulum et de certamine deprecando cogitaret; sed Ilas, qui magister ei luctandi fuerat, discipulum brevi, verum efficaci admonitione novo vigore implesse et ad vires omnes explicandas impulisse videtur. Hunc in modum scholiasta aptissime Pindari verba interpretatur, Sch. Ol. XI, 19; p. 243 init. διὰ τὸν Ἀγησίδαμον ἡ ἱστορία. οὗτος γὰρ καταλύειν ἤδη προῃρημένος ὑπὸ τοῦ ἀλείπτου ἀνερρώσθη παραθήξαντος αὐτόν. Itaque ad illam in victoria expetenda difficultatem et sollicitudinem respiciens Pindarus universo carmini hanc sententiam tanquam primarium argumentum subiecit de alterius conatus praestantia et felicitate.

2. Num ludorum Olympicorum spectatoribus licuerit exhortationes ad athletas inter pugnandum convertere.

Haec igitur interpretandi totius carminis ratio nititur sane in illa opinione, licuisse pugnantium athletarum parentibus amicisve tales admonitiones, brevissimis sane exclamationibus conceptas, inter certaminis vicissitudines ad pugnantes convertere. Hoc interpretationis nostrae, quam praeiverat scholiasta, fundamentum admitti posse negarunt nonnulli e vetustioribus poetae interpretibus viri doctissimi. Tafelius, Dilucidatt. Pindaric. I, 391 *Talia*, inquit, *aliptis licuisse, vix concedam, graecorumque interpretationem solo Pindari loco niti putaverim.* Dissenius ad Pind. Ol. XI, 17 similem scrupulum profitetur: *Exhortationes aliptarum ante certamen novi, conf. Petr. Fabri, Agonisticon, II cap. 31* [in Gronovi Thesauro Antiquitt. Graec. vol. VIII p. 2079], *sed inter certamen nihil huiusmodi licuisse probare mihi videtur ibidem laudatus locus Chrysostomi Homil. 42.* Ac sane apud Ioannem Chrysostomum duo sunt loci, qui ludorum moderatores praesidiis efficacibus oppositis cavisse evincunt, ne pugnantium athletarum praeceptores et amici manu porrecta laborantibus in certamine subveniret vel certaminum omnino iustum legitimumque cursum turbarent. Io. Chrysost. in homilia 42 in cap. XVIII Genes., in Mignii editione vol. IV, 2 p. 386 καὶ ἐπὶ μὲν τῶν Ὀλυμπιακῶν ἀγώνων οὐκ ἄν ποτε εὕροις τι τοιοῦτον γινόμενον· ἀλλ' ἕστηκεν ὁ παιδοτρίβης, θεατὴς μόνον γινόμενος τῶν ἀγωνιζομένων, καί οὐδὲν ἕτερον συνεισενεγκεῖν δυνάμενος, ἀλλ' ἀναμένων τὴν νίκην γενέσθαι· ὁ δὲ Δεσπότης ὁ ἡμέτερος οὐχ οὕτως, ἀλλὰ καὶ συναγωνίζεται καὶ χεῖρα ὀρέγει ... ἵνα τὸν ἀμαράντινον στέφανον ἐπιθῇ τῇ ἡμετέρᾳ κεφαλῇ.

Deinde copiosus etiam loco, quem mihi indicavit vir eruditissimus et omni humanitate praeditus, Fridericus Hermannus Rau, nostras, Io. Chrysost. in Genesin sermo II, ap.

Mignium vol. IV, 2 p. 587 οἱ γὰρ τοὺς ἀγῶνας ἐκείνους διαταξάμενοι σκόλοπας πήξαντες ὀξεῖς καὶ σχοινία κύκλῳ περιβαλόντες οὕτω τῶν θεατῶν τὴν μανίαν εἴργουσιν· ... θεατῇ καταβῆναι οὐ θέμις, ὅπου γε καὶ τὸν παιδοτρίβην ἔξω παρὰ κόνιν καθίσαντες, πόρρωθεν τὴν ἀπὸ τῆς διδασκαλίας συμμαχίαν εἰσάγειν τοῖς ἀγωνιζομένοις κελεύουσιν, πλησίον δὲ οὐκ ἐῶσιν ἐλθεῖν. Hi loci sane cognitu dignissimi sunt, docent enim clarissime spectantium amicorum studiis frenos impositos fuisse; sed una res est, quae his quoque testimoniis pro certa adfirmari videtur: corpore et manibus ne pugnantes athletae adiuvarentur a spectantibus, severe cautum fuisse, voce vero et acclamatione ne titubantem laborantemve amicum amici erigerent, minime vetitum fuisse; hoc enim clare demonstrant primum Chrysostomi verba modo allata: πόρρωθεν τὴν ἀπὸ τῆς διδασκαλίας συμμαχίαν εἰσάγειν τοῖς ἀγωνιζομένοις κελεύουσιν, deinde locus paullo superius in eodem Chrysostomi opere p. 587: οὐδὲν ἂν μέγα καρπώσαιτο ὁ ἀγωνιστὴς παρὰ τοῦ θεατοῦ, ἀλλ' ἢ ὅσον βοῆσαι ἐκεῖνον καὶ θαυμάσαι τὰ γεγενημένα ..., καταβῆναι δὲ εἰς τὸ στάδιον καὶ χεῖρα ὀρέξαι ... οὐ θέμις.

Postremo vero omnem dubitationem de paedotribarum et parentum acclamationibus et exhortationibus minime prohibitis plane tollit venustissima apud Pausaniam 6, 10, 1. 2 de Glauco Carystio historiola. Glaucus quidam Carystius, Demyli filius, qui postea pugil clarissumus factus est, initio aetatis fundum paternum bobus et aratro exercebat. Olim cum aratri vomer casu inter opus faciendum ex aratri compage laxatum excidisset, iuvenis validissimus, adstante et mirante patre vomerem sine mallei ope manus solius ictu ad aratrum rursus adfixit, ut opus continuare posset. Pater deinde iuvenem ad pugilatus certamen Olympiam adduxit. Glaucus ibi cum minus etiamtunc usu et paedotribarum institutione firmatus esset, ubi ab adversariis aliquot volneribus afflictus est, in postremo certamine concussus et perturbatus deficere coepit, ut iam, ne vinceretur, magnopere timendum esset. Tum vero pater filii periculo graviter commotus alta voce exclamat: ὦ παῖ, τὴν ἀπ' ἀρότρου. Hac voce audita antiquom robur Glauco rediit; quid factum sit, Pausanias narrat 6, 10, 2 βιαιοτέραν ἐς τὸν ἀνταγωνιζόμενον ἐνεγκὼν τὴν πληγὴν αὐτίκα εἶχε τὴν νίκην. Plane idem in Agesidamo Epizephyrio factum videtur, nec iam quominus sententiam illam, quam toti carmini subesse statuimus, pro recta ac vera habeamus, quidquam obstat.

3. Carminum Ol. III. et I. sententiae principes quomodo inter se concinant.

Reliqua duo carmina de originibus Olympiae simili ratione praecepta quaedam gravissima illustrant. Carmen Ol. III Theroni scriptum, ita nuper (Originum Eliacarum capita selecta, Bonnae 1882 p. 4) enarravimus, ut sub Herculis ad Hyperboreos adventu poetam hoc docere diceremus: *in mediis vitae humanae fluctibus et procellis nonnunquam beatissima mirae cuiusdam quietis et felicitatis tempora emicare, quibus Hyperboreorum beatitudinem pectus nostrum cum summa virium ad futura certamina recreatione sentiat.* Itaque in hoc quoque carmine amicis suis Pindarus viam ac semitam ad veram felicitatem inveniendam quasi digito monstrat. Nec minus huic concentui convenit carmen Ol. I,

Hieroni scriptum, cuius haec summa sententia est: *non eam esse veram felicitatem, quae sine labore et sudore hominibus obtingat eisque otiosis in gremium quasi effundatur, sed eam, quae enixo studio vel cum vitae discrimine reluctanti fortunae eripiatur et dis faventibus spoliorum in modum domum adferatur.* Hoc praeceptum duorum heroum, Tantali patris et Pelopis filii, exemplis illustratur. Tantalus deorum beneficiis cumulatus, in tam alto felicitatis cacumine quasi vertigine captus, deorum dona profanat (v. 63), cum volgo amicorum ea communicans, itaque iustum supplicium patitur. Pelops e caelo propter patris scelus eiectus, animum homine heroe vere dignum induit: non decere otio inglorio virtutem marcere, ad caelum rursus enitendum esse, pro summis vitae praemiis nihil non audendum, Ol. I, 83 ὁ μέγας δὲ κίνδυνος ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. || θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα, τά κέ τις ἀνώνυμον || γῆρας ἐν σκότῳ καθήμενος ἕψοι μάταν, || ἁπάντων καλῶν ἄμμορος; ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οὗτος ἄεθλος || ὑποκείσεται· τὺ δὲ πρᾶξιν φίλαν δίδοι. Pelops igitur dulcissimum vitae decus et ornamentum, uxorem, acerrimo adversus Oenomaum certamine confligens sibi meretur.

Tribus igitur illis carminibus tria vitae praecepta vere aurea vates noster eloquitur, quae omnia ad veram felicitatem viam muniant. In Pindari animo haec carminum trias unius harmoniae partes continet: ex eodem illa animi impetu et adscensu prosiluerunt. Poeta talia amicis suis dona offerens non delectationem cito praetervolantem praebere volt: sed intimum eis ipsius vitae sensum interpretatur et ab eorum luminibus fascias illas, quae volgi aciem impediunt, solvere conatur. Sed pendet Pindaricorum carminum universa interpretatio maxume ex fabularum mythicarum, quibus ad illustrandas sententias et praecepta utitur, recta cognitione; nam quaecunque edocet, fabularum sertis involuta multo efficacius tradit, quam si meram auditoribus suis sapientiam propinavisset; recte enim Thucydides ἐς μὲν ἀκρόασιν inquit τὸ μὴ μυθῶδες ἀτερπέστερον φανεῖται. Itaque plurimum interest, ut quibus e fontibus poeta fabularum argumenta hauserit, qualia illa antiquitus tradita invenerit, quomodo ea ipse immutando nova reddiderit intellegatur. Nunc igitur primum carminis in hac triade antiquissimi, Olympici X (XI), fontes paullo accuratius consideremus.

4. Fabulam de Herculis contra Augiam bello in duabus Peloponnesi regionibus magno intervallo diiunctis haerere.

Tres sunt fabulae de Herculis adversus Augiam bello quasi radices, e quibus antequam poetarum manibus cultius exornaretur, succrevit: primum originem cepit ex locorum, caeli, aquarum in Peloponneso natura; eorum enim elementorum certae quaedam mutationes et vicissitudines illa fabula significantur, qua de re in hac dissertatione infra exponemus. Deinde duae illius narrationis formae sunt ex populorum antiquissimorum migrationibus et certaminibus natae; nam, qui mos est antiquissimorum illorum temporum in servanda et tradenda rerum gestarum memoria, populorum fata et res gestae deorum et heroum tutelarium personis et imaginibus exprimebantur. Heroes totius po-

puli quasi vicarii sunt, quidquid a populo agitur materiam praebet heroum eventis et factis. Sunt igitur huius generis duae narrationum de eo bello traditarum formae plane diversae et locorum etiam regione admodum diiunctae. Alterius patria est Elis, quae κοίλη vocatur, septentrionalis et vicina Achaiae pars. Olenos potissumum urbs Achaica earum fabularum quasi incunabula continet. Altera in regione Phenatide Arcadiae haeret. De hac Pheneatica narrationum stirpe primum iam videamus.

5. Herculis apud Pheneatas res gestae. Comitibus eius bello interemptis ut heroibus patriis sacra instituta.

Hercules igitur ex Pheneo urbe in Elidem incursionem fecisse traditur, Achaeis potissumum copiis usus, Paus. 5, 3, 1 στρατιὰν παρά τε Ἀργείων καὶ ἐκ Θηβῶν ἀθροίσας καὶ Ἀρκάδας. Tirynthii quoque et Cleonaei commemorantur. Huius belli, in quo primum ab Actoridis, Cteato et Euryto, Hercules repulsus, secundo demum impetu victoriam obtinuit, late patet et pervolgata est memoria. Hesiodus in Catalogis (fragm. Hes. ed. Marckscheffel p. 281) antiquissimus eius rei testis videtur. Inde reliqui fere hauserunt. De Tirynthiis Herculis comitibus testis est Pindarus Ol. X, 31 πρόσθε ποτε Τιρύνθιον || ἔπερσαν αὐτῷ στρατόν, et Schol. Pind. Ol. XI, 39 p. 246 ὅτε Αὐγέᾳ ἐπολέμει Ἡρακλῆς . . . εἶχε πολλοὺς συμμάχους Τιρυνθίους, οὓς οἱ Μολιονίδαι ἐφόνευσαν. Pausanias de rebus Pheneatarum tradens 8, 14 Herculem ibi habitasse et ingentis molis opera ad aquas derivandas struxisse perhibet § 3: διὰ μέσου δὲ ὤρυξεν Ἡρακλῆς τοῦ Φενεατῶν πεδίου ῥεῦμα εἶναι τῷ ποταμῷ τῷ Ὀλβίῳ . . . μῆκος μὲν τοῦ ὀρύγματος στάδια πεντήκοντά εἰσιν. Avia Herculis, Amphitruonis mater, Laonome, quae Alcaeo, Amphitruonis patri nupta fuerat, civis Pheneatica erat, filia Gunei. Apud eam per aliquod tempus in hospitio Herculem fuisse Pheneates gloriabantur; Paus. 8, 14, 2. Laonomae et Gunei nomina ad terrae fecunditatem, quae Herculis ad aquas cohibendas operibus effecta sit, pulchre rettulit E. Curtius, Pel. I, 210, not. 5.

Ex Pheneo igitur urbe bellum adversus Augeam Hercules gerere instituit. Hoc inde maxume patet, quod saucii Herculis comites a Pheneatis excipiuntur. Iphicles, Iolai pater, in ea expeditione ab Actoridis volneratur; civis quidam Pheneata, Buphagus nomine, et Promna uxor comiter eum excipiunt, Paus. 8, 14, 9 ἤδη κάμνοντα κομίζουσιν οἱ προσήκοντες ἐς Φενεόν· ἐνταῦθα ἀνὴρ Φενεάτης . . . καὶ ἡ . . . γυνὴ . . . περιεῖπόν τε εὖ καὶ ἀποθανόντα ἐκ τοῦ τραύματος ἔθαψαν. Deinde Iphicli monumentum in colle sub urbis arce erectum est (Paus. 8, 14, 9); honores etiam divini instituti, quos Pausanias Iphicli ut heroi etiamtunc quotannis sacrificio facto obiri adfirmat. Praeter Iphiclem alii quoque heroes clarissimi in eisdem proeliis occubuerunt; Sch. Pind. Ol. XI, 39 p. 246 οἱ δὲ ἀποθανόντες ἐν τῇ μάχῃ εἰσιν οὗτοι· Τελαμών, Χαλκώδων καὶ Ἰφικλῆς. De reliquorum praeter Iphiclem heroum in illa expeditione mortuorum memoria et sepulcris luculentissimum Pausaniae extat testimonium 8, 15, 5: in via e Pheneo urbe Pallenam ferenti, quindecim stadia progredientibus locum fuisse cum interemptorum heroum monumentis ἡρώων μνήματα, ὅσοι σὺν Ἡρα-

κλεῖ στρατείας ἐπὶ Ἠλείους μετασχόντες οὐκ ἀπεσώθησαν οἴκαδε ἐκ τῆς μάχης. Addit Pausanias, omnia ille in fabularum mirificis repugnantiis ad speciem quandam probabilitatis revocans, neque Chalcodontem illum neque Telamonem eosdem viros esse potuisse, atque eos, qui in Iliade ut Elephenoris (Il. β, 541) et Aiacis Teucrique patres commemorentur, § 7: ὁμώνυμοι δὲ ἐπιφανέσιν ἄνδρες ἀφανέστεροι. In bello, quod ex Arcadia profectus Hercules contra Augiam gessit, Arione equo vectus dicitur Paus. 8, 25, 10, quem ab Onco, Thelpusae rege, acceperit: Ἡρακλέα πολεμοῦντα Ἠλείοις αἰτῆσαι παρ' Ὄγκου τὸν ἵππον καὶ ἑλεῖν τὴν Ἦλιν ἐπὶ τῷ Ἀρείονι ὀχούμενον. Illud quoque narratur, Herculem in pugna adversus Molionidas trecentos sexaginta Cleonaeos, qui eius signa secuti erant, amisisse Ael. Var. hist. 4, 5 ἀπέδωκε χάριτας τοῖς ἐκ Κλεωνῶν τριακοσίοις καὶ ἑξήκοντα. τούτοις γὰρ ... συστρατεύσασιν αὐτῷ καὶ ἀποθανοῦσιν εὖ καὶ καλῶς ἀπέστη τῶν ἐν Νεμέᾳ τιμῶν.

6. De Hercule Apollinis apud Pheneatas religionum conditore et propugnatore.

Heroum igitur, qui cum Hercule pugnantes occubuerant, clarissima in Pheneatide memoria est. Sed alias quoque in Pheneatide Herculis numen radices egit. Nam tripodem ex templo Delphico raptum in Pheneatarum fines attulisse dicitur (O. Mueller, Dor. I², 201 et 449). Plut. de ser. num. vind. 12 med. ἀτοπώτερος τούτων ὁ Ἀπόλλων, εἰ Φενεάτας ἀπόλλυσιν, ἐμφράξας τὸ βάραθρον καὶ κατακλύσας τὴν χώραν ἅπασαν αὐτῶν, ὅτι πρὸ χιλίων ἐτῶν, ὥς φασιν, ὁ Ἡρακλῆς ἀποσπάσας τὸν τρίποδα τὸν μαντικὸν εἰς Φενεὸν ἀπήνεγκε. Iam pridem constat, fabulas de rapto ab Hercule tripode nihil aliud significare nisi cultus et sacrorum Apollineorum in aliquem locum migrationem et propagationem, qua de re egregie dixit O. Mueller, Dor. I², 435. Phenei quoque Hercules Apollinis Pythii et Dianae cultum post captam Elidem instituisse et aedem sacram extruxisse perhibetur; Paus. 8, 15, 5 Ἡρακλέα ἑλόντα Ἦλιν τὸ ἱερὸν ... ποιῆσαι. De Apollinis in urbibus Sicyone et Pheneo templis [Aristoteles] θαυμάσια ἀκούσματα cap. 58 p. 834ᵇ 18 tradit, e metallo quodam pretiosissumo, quod aurum ipsum praestantia aequet, quod in insula Demoneso prope Carthaginem inveniatur, statuas confectas fuisse cum in Sicyoniorum aede Apollinis tum in Pheneatarum (ἀνδριάντες) οἱ ὀρείχαλκοι καλούμενοι, in quibus inscriptio haec infixa sit: Ἡρακλῆς Ἀμφιτρύωνος Ἦλιν ἑλὼν ἀνέθηκεν. Auctor libelli de victoria quoque, quam ex Augia Hercules reportarit, aliam plane, quam quae volgo narratur, memoriam servavit: αἱρεῖ δὲ τὴν Ἦλιν ἡγουμένης κατὰ χρησμὸν γυναικός, ἧς τὸν πατέρα Αὐγείαν ἀπέκτεινεν (Curt. Pel. I, 194. 188).

7. Ephyram, quam Pheneo profectus Hercules oppugnatum ivit, non Elidensem esse, sed Sicyoniam apud Str. VIII, 338.

In his fabulis pro Elidis, quam Hercules expugnasse dicitur, Ephyrae sine dubio ubique nomen antiquissimae narrandi formae vindicandum est, nam Ephyra Augiae sedes regia fuit. Eam vero Ephyram, quam e Pheneatide profectus Hercules aggressus est,

e genuina et antiquissuma harum fabularum sententia non in Coele Elide, sed in vicinia Phenei haud longe a Sicyone urbe sitam fuisse, admodum credibile est. Egregie autem accidit, ut apud Strabonem indubitatum de Ephyrae cuiusdam Sicyoniae cum solito Ephyrarum urbium comite, Selleente fluvio (conf. Il. β, 659; Il. ο, 530; Str. VIII, 338), antiquitatibus testimonium traditum habeamus; ait enim ille VIII, 338 extr. ἔστι δὲ καὶ περὶ Σικυῶνα Σελλήεις ποταμὸς καὶ Ἐφύρα πλησίον κώμη. Herculis comitum tumuli sepulcrales versus septentrionem et orientem a Pheneo urbe siti sunt prope viam, quae Pallenam fert. Valde veri dissimile est, in antiquissimis fabulis Herculem cum exercitu ex Pheneatide in Elidem progressum et saucios comites ex Elide Pheneum usque ab amicis transportatos esse. Pheneus multo propius abest ab Sicyone urbe, quam ab Elide, a qua magno altissumorum montium tractu diiungitur, neque ullam hoc probabilitatis habet umbram, fabulam Phenei ortam ibique haud dubie domesticam in Elidem subito, nulla externa caussa intercedente, transiluisse. Quare Strabonis illo loco nisi confidenter contendere possumus, Augiae et Actoridarum fabulam olim, antequam poetarum inventis antiqua narratio immutata esset, in Ephyra urbe Sicyonia haesisse. Accedit quod prope Cleonas Herculem ex insidiis Actoridas Cteatum et Eurytum interemisse, communis est totius antiquitatis vox; Paus. 5, 2, 1. 2. Hercules in finibus Pheneatarum Apollinis est cultor et vindex. Augias ex sua sede, Ephyra in Sicyonia, Apollinis cultores vexavisse videtur. Huius igitur belli e Pheneatide contra Ephyram Sicyoniam gesti memoria postea conglutinata est cum altera illa narratione de Herculis adversus Augiam bello, in qua ab Oleno Achaiae urbe Hercules adversus Ephyram Elidensem proficiscitur cum Epeorum exercitu; ibi totius belli theatrum Coele Elis est septentrionalis. In hac igitur narratione Hercules Ephyram oppugnans sine dubio ex Aetolia in Elidem translatus est. Verum haec omnia qualia sint ut accuratius intellegatur, primum Aetolicae urbis Oleni antiquitates considerandae.

8. Oleni urbis Aetolicae antiquitates explicitae.

Vetustissimus de Oleno Aetolica testis est auctor Catalogi navium Il. β, 639 οἳ Πλευρῶν' ἐνέμοντο καὶ Ὤλενον ἠδὲ Πυλήνην. Olenus haec sub Aracyntho monte sita erat; Strabonis tempore rudera tantum oppidi supererant, Str. X, 460 med. ἴχνη δ' αὐτῆς λείπεται μόνον ἐγγὺς τῆς Πλευρῶνος ὑπὸ τῷ Ἀρακύνθῳ, de quo monte iterum conferendus Str. p. 460 extr. et Eustath. Il. β, 639. Olenum remotissumis iam temporibus Aeoles diruisse tradit Str. X, 451 med. τὴν μὲν Ὤλενον ... Αἰολεῖς (Str. X, 464 med.) κατέσκαψαν, πλησίον οὖσαν τῆς νεωτέρας Πλευρῶνος. cf. Steph. Byz. s. v. Huius urbis nomen et fabulas O. Muellerus, Dor. I², 421 in Achaiam translatas censet per continuum illud populorum ex altero sinus Corinthii in alterum littus migrantium flumen. Sunt sane quibus haec coniectura muniatur. Oeneus Calydonis rex cum Oleni Aetolicae memoria non minus, quam cum urbis eodem nomine praeditae in Achaia fabulis coniunctus est. Nam Periboea, Hipponoi filia, quam Oeneus uxorem ducit, Tydei mater, a nonnullis poetis Oleno Aetolica oriunda

dicitur; velut auctor Thebaidis eam praemii loco propter fortitudinem urbe Oleno expugnata Oeneum accepisse tradit, Apollod. 1, 8, 4 ταύτην δὲ ὁ μὲν γράψας τὴν Θηβαΐδα πολεμηθείσης Ὠλένου λέγει λαβεῖν Οἰνέα γέρας, Ἡσίοδος δὲ ἐξ Ὠλένου τῆς Ἀχαΐας, de quo loco recte iudicat Schneidewinus, Simonid. fragm. p. 98. Deianirae quoque imaginem in utroque sinus Corinthiaci littore popularem et domesticam fuisse apparet ex fabulis apud Hyginum fab. 33 et Lactant. Plac. ad Statii Thebaid. 5, 263.

9. Aetolorum et Epeorum cognatio atque mutua antiquitus commercia illustrata.

Epeos et Aetolos antiquitus unum populum fuisse multis vestigiis iam veteribus hominibus constabat. Ephorus ea de re copiose exposuerat teste Strabone X, 463. Ephorus hoc propositum secutus erat, ut demonstraret, iure quodam et Aetolos Epeorum se parentes et conditores esse, et Epeos rursus Aetoliam a se conditam gloriari solere; tantum iam diu ante Oxyli tempora commercium mutuum fuisse; Str. X, 464 init. ἐξομολογουμένων ἀμφοῖν οὐ τὴν συγγένειαν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀρχηγέτας ἀλλήλων εἶναι. cf. Curt. Pel. I, 411. Huius rei Ephorus testimonia luculentissima antiquas fabulas attulerat: Aetolum, Endymionis filium, ex Elide advenam in Aetolia Curetas, antiquissimos Aetoliae incolas, expulisse. Curetas in Acarnaniam discessisse, in Aetoliam una cum Epeis, Aetoli comitibus, Aetolos immigrasse: τοὺς δ' Αἰτωλοὺς συγκατελθόντας Ἐπειοῖς τὰς ἀρχαιοτάτας κτίσαι τῶν ἐν Αἰτωλίᾳ πόλεων. Eandem rem, minutiis nonnullis adiectis, Pausanias tradit 5, 1, 6. Extabant autem in urbibus, quae amborum populorum capita erant, Thermis et Elide, conspicua mutui eius vinculi monumenta. Thermis sub Aetoli herois statua haec inscriptio insculpta erat, Str. X, 463 ex Ephoro: Χώρης οἰκιστῆρα παρ' Ἀλφειοῦ ποτε δίναις || θρεφθέντα, σταδίων γείτον' Ὀλυμπιάδος, || Ἐνδυμίωνος παῖδ' Αἰτωλὸν τόνδ' ἀνέθηκαν || Αἰτωλοί, σφετέρας μνῆμ' ἀρετῆς ἐσορᾶν. In Elidis urbis foro sub Oxyli simulacro haec legebantur: Αἰτωλός ποτε τόνδε λιπὼν αὐτόχθονα δῆμον || κτήσατο Κουρῆτιν γῆν δορὶ πολλὰ καμών· || τῆς δ' αὐτῆς γενεᾶς δεκατόσπορος Αἵμονος υἱός || Ὄξυλος ἀρχαίην ἔκτισε τήνδε πόλιν. [Scymnus Chius] v. 466 ἀφικόμενος δ' Αἰτωλὸς ἐκ τῆς Ἤλιδος || Αἰτωλίαν ὠνόμασ' ἐκείνους ἐκβαλών. Decem igitur aetatibus post Endymionem Oxylus in Elidem immigravit. Cum igitur tam arctum inter hos populos, in ambobus sinus Corinthiaci littoribus incolentes, vinculum intercederet, minime mirari oportet, quod eadem et locorum nomina velut Oleni, et fluviorum velut Acheloi (Str. VIII, 342 med.), eaedem denique heroum et deorum fabulae et sacra redeunt. Expresse de hac re docet Paus. 5, 15, 12 Ἠλεῖοι δὲ καὶ ἥρωσι καὶ γυναιξὶ σπένδουσιν ἡρώων, ὅσοι τε ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Ἠλείων καὶ ὅσοι παρὰ Αἰτωλοῖς τιμὰς ἔχουσιν. Eadem via Herculis quoque fabulas, quae domesticae factae erant apud Aetolos, quemadmodum Herculis cum Deianira coniugium luculenter demonstrat, Aetoli ad Epeos attulerunt.

10. Olenum in Achaia urbem consuetum Aetolorum in Peloponnesum commeantium deverticulum fuisse.

Herculis autem adversus Augiam et Ephyram bellum, quod ille Epeorum copiis imperans gessit, Str. VIII, 341, ab Oleno potissumum urbe, quae in Achaia est, initium capit. Huius igitur nunc urbis memoria brevibus comprehendenda. Olenos Achaica advenarum illorum, qui iteratis incursionibus ex Aetolia in Peloponnesum adpellebant, primum et maxume hospitale deverticulum fuit, quod regis, qui per mythica ibi tempora regnat, iam nomine Δεξαμενός significatur. Dexamenus non is est, qui advenas apud se retinet, ut Δέγμενος, quod nomen est maxume Eleum, Paus. 5, 4, 2, sed qui exceptos mox dimittit. De Oleno Achaica locuples testis Strabo, qui VIII, 386 δείκυται δ' ἴχνη inquit μεταξὺ Πατρῶν καὶ Δύμης τοῦ παλαιοῦ τῶν Ὠλενίων κτίσματος. Oppidi situs optime ex Aesculapii aede satis nobili definiri poterat, quae Strabonis tempore ex veteris urbis magnificentia sola relicta erat, Str. p. 387 τὸ τοῦ Ἀσκληπιοῦ ἱερὸν ἐπίσημον, [ὃ] Δύμης μὲν ἀπέχει τεσσαράκοντα σταδίους, Πατρῶν δ' ὀγδοήκοντα, cf. Paus. 7, 18, 1. Strabo mirifico errore occaecatus Homerum negat Olenum urbem Achaicam nosse, Str. VIII, 386 ὁ ποιητὴς τοῦ μὲν ἐν Ἀχαΐᾳ Ὠλένου οὐ μέμνηται. Eum bene refutat Curt. Pel. I, 429. 451. Immo bis Olenus in Iliade commemoratur Il. β, 617 et Il. λ, 756 ἐπὶ Βουπρασίου πολυπύρου βήσαμεν ἵππους || Ὠλενίην τε πέτρην. Saxum Olenium Strabo Scollidem montem esse censet VIII, 387 extr. et 341 med.

Oleni origines ad vetustissima tempora recedunt. Iovis ex nuptiis cum Danai filia Anaxithea filius Olenus heros est urbis eponymus, cf. Steph. Byz. s. v., qui Istro teste utitur in libro Αἰγυπτίων ἀποικίαι. Postea memoratur Macareus, Crinaci filius, Iovis nepos. Diodorus 5, 81 ἦν δ' ὁ Μακαρεὺς υἱὸς μὲν Κρινάκου τοῦ Διός, ὥς φησιν Ἡσίοδος καὶ ἄλλοι τινες τῶν ποιητῶν, κατοικῶν δ' ἐν Ὠλένῳ. Macareus ab Epeis, ut videtur, nam de hac re nihil traditur, expulsus in Lesbum insulam emigrat. Quod Epeos eum expulisse diximus, eo nititur, quod postea Dexamenus, qui haud dubie Epeus est, Oleni regnum obtinet. Dexameni memoria plurimum apud veteres celebrata est. Primum Oecei, Dexameni patris, nomen, ad hospitalitatem opinor significandam inventum, notum ex Callimachi hymno in Del. 102 Δεξαμενοῖο βοόστασις Οἰκιάδαο, nam Οἰκιάδης ab Οἰκεύς eadem patronymicorum derivatione formatum ut Ὀιλιάδης et Ἰλιάδης (Pind. Ol. IX, 120) ab Ὀιλεὺς et Ἰλεύς, qua de formatione dixit loci Callimachei immemor Angermannus in Curt. Stud. I, 30.

Oeceus duos filios habet Dexamenum et Hipponoum. Posterior, Hipponous, propter filiae Periboeae fata cum multis poetis, tum Sophocli in Hipponoo celebrata, clarus est. Apollodorus 1, 8, 4 narrat ex Hesiodo, Hippostratum, Amaryncei filium, Periboeam compressisse; patrem Hipponoum iratum filiam gravidam Oeneo misisse cum hoc mandatu, ut eam interficeret. Oeneum vero missam in matrimonium duxisse, unde Tydeus natus sit. Praeter Tydeum Pherecydes Oleniam filium commemoraverat, Apollod. 1, 8, 5, 2. Fragmenta Hesiodea huc pertinent ap. Strab. p. 342 ᾤκεε δ' Ὠλενίην τε πέτρην ποταμοῖο

παρ' ὄχθας || εὐρεῖος Πείροιο, et ap. Sch. Pind. Ol. XI, 46 p. 246. Sophoclis ap. Steph. Byz. s. v. fragmentum est ἐξ Ὠλένου γῆς φορβάδος κομίζομαι, verba fortasse ipsius Periboeae ad Oeneum conversa. Hipponoum Dexameni fratrem fuisse ex Hesychii glossa ab Ruhnkenio egregie suppleta constat: Οἰκιάδης Σιμωνίδης (fr. 79 Schneidew.) [Οἰκεὺς Δεξαμενοῦ] καὶ Ἱππονόου πατήρ, nam de huius supplementi praestantia minime scrupulos movere debebat Schneidewinus. Hipponous, Capanei pater, Megapenthis filius (ap. Sch. Pind. Nem. IX, 30 p. 494 init.) perperam cum Hipponoo Oecei filio ab Iacobi, Gloss. Mythol. s. v. p. 462 confunditur.

11. Expeditio Herculis adversus Ephyram ex Oleno urbe suscepta a Pheneatica (cf. supra cap. 6) prorsus seiungenda.

Alter Oecei filius Dexamenus multo quam frater inlustrior propter hospitalitatem. Apud eum quicunque ex altero in alterum sinus Corinthiaci littus commeant, devertunt; est Olenus arx quaedam omnium hospitum. Initio, si fabulas antiquissimas audiamus, Phorbantem ille Augiae patrem Oleni receperat; Phorbas enim antequam in Elidem Alectoris rogatu concessit, Oleni vixit, Eustath. Il. β, 615 Ἀλέκτωρ . . . συλλαμβάνεται Φόρβαντα τὸν ἐξ Ὠλένου ἐπὶ ἡμισείᾳ τῆς βασιλείας. Inde illud explicandum, quod Actoris, Phorbantis filii (cf. Eust. l. s.), filii duo gemini, Cteatus et Eurytus, Dexameni filias geminas in matrimonium ducunt, Paus. 5, 3, 3 Ἄκτορος τοῖς παισὶν . . . ἐσαγομένοις . . . Δεξαμενοῦ θυγατέρας ἐν Ὠλένῳ βασιλεύοντος, τῷ μὲν [Κτεάτῳ] ἐκ Θερονίκης Ἀμφίμαχος, Εὐρύτῳ δ' ἐκ Θεραιφόνης ἐγεγόνει Θάλπιος. Hi duo, Amphimachus et Thalpius, Eleorum ad Troiam navibus praesunt, Il. β, 620.

Deinde vero auctiora semper crebrioraque Epeorum ex Aetolia agmina in Peloponnesum transmittunt et pedetemptim progrediendo littus Peloponnesi septentrionale ab Oleno ad Araxum promunturium occupant. Eorum Epeorum Hercules dux est, qui Aetolis maxume coniunctus ex Aetolia nunc in hasce Peloponnesi regiones advenit. Iam igitur bellum illud incipit, quod in Achaiae hac parte et Coele Elide Hercules adversus Augiam gerit. Herculis in hoc bello copiae et exercitus Epei sunt, uti luculento testimonio Hecataeus affirmat ap. Str. VIII, 341 Ἑκαταῖος . . . ἑτέρους λέγει τῶν Ἠλείων τοὺς Ἐπειούς· τῷ γοῦν Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι τοὺς Ἐπειοὺς ἐπὶ Αὐγέαν. Olenum Achaicam in hac expeditione pro receptaculo Herculi fuisse a multis narratur. Herculi primum adversus Augeam res parum prospere processit; fusus est eius exercitus, Diod. 4, 33, 1 γενομένης δὲ μάχης πρὸς τοὺς Ἠλείους, τότε μὲν ἄπρακτος ἐπανῆλθεν εἰς Ὤλενον πρὸς Δεξαμενόν. cf. Apollod. 2, 5, 6. Copiosissimus de Herculis fuga testis est Echephyllidas (fortasse Echephylidas scribendum collata inscriptione Dodonaea in Mus. Rhen. Vol. 33 p. 611 lin. 5) apud Schol. Plat. Phaed. p. 381 Bekker, qui proverbium explicans πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς Herculem enarrat a Cteato et Euryto Actoridis fugatum non antea oculos retro vertisse, quam in Buprasidem pervenerit, ibique demum, refrigeratum paullulum, ex fluvio praetereunte aquae haustum bibisse eamque aquam 'dulcem' nomine nuncupasse:

διωχθέντα δὲ ἄχρι τῆς Βουπρασίδος καὶ περιβλεψάμενον ὡς οὐδεὶς ἐξίκετο τῶν πολεμίων ἀναψύξαι τε καὶ ἐκ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ πιόντα προσαγορεῦσαι τοῦτο ἡδὺ ὕδωρ. Eum fluvium in ea via inveniri, quae ab Dyma urbe Elidem ferat. Quae Echephyllidas refert optimorum testium nominibus confirmantur, Schol. Plat. l. s. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ Φερεκύδης καὶ Κώμαρχος καὶ Ἴστρος ἐν τοῖς Ἠλιακοῖς ἱστοροῦσιν. Polybius castellum, cui Τεῖχος nomen, novit prope Dymam, quod in hoc bello Hercules aedificarit, Pol. 4, 59, 5 Τεῖχος, ὅ φασιν οἱ μῦθοι τὸ παλαιὸν Ἡρακλέα πολεμοῦντα τοῖς Ἠλείοις ἐποικοδομῆσαι, βουλόμενον ὁρμητηρίῳ χρῆσθαι τούτῳ κατ' αὐτῶν.

12. Herculis apud Dexamenum hospitium et auxilium, quod hospiti praestitit, quid significent.

Hercules deinde cum ad Dexamenum se convertisset, hospitem suum e magno periculo exemit. Dexamenus filiam Hippolytam (ita Diod. 4, 33, 1; Mnesimacham Apollod. 2, 5, 5) Azani desponderat. Celebrantur epulae nuptiales. Eurytion Centaurus vim Hippolytae inferre conatur. Hercules grassatorem obtruncat. Eandem rem Bacchylides narraverat, Sch. Od. φ, 295 et Eustath. p. 1909, 62. Quam largam olim hoc Herculis apud Dexamenum hospitium poetis narrandi copiam praebuerit e Pausania conicias, qui 7, 18, 1 ὁπόσοι inquit ἐς Ἡρακλέα ... πεποίηκασιν, ἔστιν οὐκ ἐλάχιστόν σφισι δεῖγμα τοῦ λόγου Δεξαμενὸς ὁ ἐν Ὠλένῳ βασιλεύς, καὶ ὁποίων Ἡρακλῆς παρ' αὐτῷ [ξενίων] ἔτυχε. Eurytionis fatum Hermesianax in elegia cecinerat, Paus. l. s.

Herculis quam arcte cum Oleno et Dexameno imago coaluerit, vel, ut fabularum earum nunc sensum reconditum interpretati loquamur, quantopere Epei quoque illi, qui in Achaia ex Aetolia transvecti sedes ceperant, Herculem ut heroem maxume popularem et domesticum sibi vindicarint, documento est illud, quod Dexameni filiam veteres fabulae nonnullae Deianiram vocant, quam Hercules gravi adversus Centauros, Eurytionem praecipue, proelio sibi expugnarit. Testis est Hyginus, veteres haud dubie bonosque auctores secutus, qui fab. 33 (coll. fab. 31 extr.) narrat, Dexameni filiam Deianiram Herculem compressisse, deinde fide data fore, ut eam uxorem duceret, aliquantisper discessisse, quo temporis spatio Eurytion, Ixionis e Nube filius, Centaurus, usus sit ad Dexamenum cogendum, ut ipsi Deianiram in matrimonium collocaret. Cum igitur die statuta ad nuptias faciendas Eurytion cum fratribus Centauris advenisset, nec opinato Herculem intervenisse, et *Centaurum interfecit et suam speratam abduxit.* Eadem confirmat Lactantius Plac. ad Statii Thebaid. 5, 263, qui hoc exitu narratiunculam concludit: *Eo forte die, quo nuptiae celebrantur, superveniens Alcides Centauros interfecit, Deianiramque insperate suo matrimonio copulavit.* Haec profecto sunt pulcherrima illa praemia, quae apud Dexamenum Herculem accepisse tradit Paus. 7, 18, 1. Ne hoc quidem plane omittendum videtur, quod ipse Dexamenus Centaurus dicitur apud Schol. Callim. Del. v. 102 Βοῦρά τε] ... ᾤκησε δὲ αὐτὴν Δεξαμενὸς ὁ Κένταυρος· ἐκεῖ δὲ αὐτοῦ τὰ βουστάσια (βουβόσια Meineke) ἐφυλάττετο, διὸ καὶ Βοῦρα ὠνομάσθη. Hercules posteaquam Actoridas ex insidiis interfecerat,

denuo adversus Augiam arma cepit; bellum satis cruentum fuisse, documento est historiola de imminuto Elidis incolarum numero, quem miraculo facto Minervae, cui Matri cognomen est (Ἀθηνᾶς μητρός), ope adiutae matres familias restituunt, Paus. 5, 3, 2. Flumen prope cuius ripam hoc factum, Bady vocatum est. Curt. Pel. II, 37. 104.

13. Summa quaedam colligitur eorum, quae supra disputata sunt.

Iam ex eis, quae ex veterum testimoniorum horreis congessimus, nonnulla nunc promenda et digerenda sunt, quae ad fabulae de Herculis adversus Augiam bello originem illustrandam usui sint. Primum igitur constat, duas eius narrationis esse quasi sedes patrias et incunabula, quae locis admodum diiuncta sunt; altera enim fabulae patria est Olenus et vicina eius urbis loca, altera Pheneus est, quae propius abest a Sicyone, quam ab Elidis finibus. Has narrationes olim ab initio coniunctas fuisse minime credibile est; nam fabulae forma Olenia ex Aetolia in Peloponnesum advecta et cum Dexameni imagine coniuncta est. In ea fabula Hercules dux Epeorum est. Quemadmodum cum Aetolorum exercitu olim in Thesprotia Hercules Ephyram Thesproticam expugnavit, ita nunc, translata in Peloponnesum fabula, Hercules Oleno profectus Ephyram Elidensem aggreditur. Phyleus Thesproticus et Eleus eidem sunt. Hercules in Elide, quemadmodum luculentissimo aliquo Pausaniae testimonio edocemur, Hadis dei potissumus est adversarius, Paus. 6, 25, 2 ἀνθρώπων δὲ ὧν ἴσμεν μόνοι τιμῶσιν Ἅιδην Ἠλεῖοι κατά τινα αἰτίαν τήνδε. Ἡρακλεῖ στρατιὰν ἄγοντι ἐπὶ Πύλον τὴν ἐν Ἤλιδι παρεῖναί οἱ καὶ Ἀθηνᾶν σύνεργον λέγουσιν. ἀφικέσθαι οὖν καὶ Πυλίοις τὸν Ἅιδην συμμαχήσοντα τῇ ἀπεχθείᾳ τοῦ Ἡρακλέους, ἔχοντα ἐν τῇ Πύλῳ τιμάς. Hadis quoque dei cultus et religiones ex Thesprotia in Elidem ab eiusdem populi sparsis colonis translatae sunt, qui Ephyram ex Thesprotia in Elidem transtulerunt. Iam igitur, ut brevi comprehendamus, Olenia illa de bello adversus Augiam fabula nihil aliud significat, quam assidua Epeorum ex Aetolia transmigrantium et suos deos in Elidem adferentium agmina, quae primum ab Phorbantidis repulsa tandem ut in eandem rempublicam reciperentur nacta sunt.

Ab hac igitur narratione origine et ingenio distat fabula Pheneatica. In hoc bello e Pheneo urbe moto Hercules Tirynthiorum et Cleonaeorum dux est. Herculis comitum in narratione Pheneatica luculenter et virtus bellica et exitium cum exequiis exornata sunt. In hoc bello Herculis, quemadmodum sacra ab eo Phenei condita et fabula de tripode confirmant, Apollinis propugnator est adversus Augiam. Hic quoque belli campus Pheneaticus suam quandam Ephyram vicinam habet prope Sicyonem, suumque Selleentem fluvium. Itaque ibi quoque eiusdem populi, quem in Thesprotia et Elide agnovimus, sparsa fragmina sedisse veri simile est.

14. Fabulas primitus diiunctas quemadmodum scriptores conglutinarint.

Hae igitur fabulae duae, vetustissimis temporibus diversae et seiunctae, postea altera cum altera conglutinatae sunt. Pindarus in carmine Ol. X (XI) Agesidamo Locro Epize-

phyrio scripto primus est eius consociationis testis; is enim mirifica sane audacia Herculis exercitum Tirynthium narrat Actoridas Cteatum et Eurytum in Elidis convallibus — Coelen Elidem intellegit — oppressisse, Ol. X, 31 πρόσθε ποτε Τιρύνθιον || ἔπερσαν αὐτῷ στρατὸν || μυχοῖς ἥμενοι Ἄλιδος || Μολίονες ὑπερφίαλοι, quae verba uti nihil offensionis haberent, si heroum in bello occisorum in Elide sepulcra ostenderentur, ita nunc cum prope Pheneum illa monumenta extructa et cultu sollemni quotannis celebrata videamus, documento sunt, Pindarum ea, quae antiquitus locis diversa erant, contaminasse. Sed Pindarus haec minime primus excogitavit. Immo totam hanc de Herculis expeditione Elidensi narrationem ex Hesiodi Catalogo desumpsit, quemadmodum ex fragmentis apud Marckscheffelium p. 281 conicere licet. Posteriores scriptores prope omnes eandem rationem consociandarum earum fabularum secuti sunt, Hesiodi sine dubio exemplum imitati, Apollod. 2, 5, 5, 6 et 2, 7, 2, 2. Diodorus 4, 33, duos quasi actus belli contra Augiam discernens, Herculem ab Actoridis victum narrat ad Dexamenum se recepisse, inde, cum beneficio servatae filiae hospitem sibi obstrinxisset, eum Tirynthem, postremo Pheneum se contulisse, unde bellum contra Augiam instaurarit. Vnus ex antiquis testibus, qui vetustissimam illam fabularum Pheneaticarum et Oleniarum diiunctionem servarit, Hecataeus est Milesius Str. VIII, 341, qui Epeos Herculis comites fuisse, adversus reliquorum consensum strenue tuetur. Quamquam ceteros quoque scriptores qui accurate inspiciat, facile ab initio duas diversas expeditiones distinctas fuisse animadvertat.

15. Fabulas de rebus divinis apud Thelpusios e naturae rerum ibi vicissitudinibus et turbis explicari oportere.

Praeter has, quas in superioribus illustravimus, fabularum de Herculis adversus Augiam bello radices duas nunc tertia etiam consideranda est, quae ut eius belli fama latius spargeretur et variis digressionibus locupletaretur effecit. Huius narrationis terra patria Thelpusa in Arcadia est, cuius fabulas domesticas Pausanias 8, 25 composuit. Ibi sanctissime numen Cereris olim et Neptuni colebatur. Narrabatur autem, Cererem in equam conversam inter equorum regis Oncii greges ad evitandas Neptuni insidias se occultavisse; Neptunum vero, cognita fraude, ipsum quoque in equom formam mutasse. Ex hoc coniugio natum equom Arionem, Paus. 8, 25, 7 τὴν δὲ Δήμητρα τεκεῖν φασιν ἐκ τοῦ Ποσειδῶνος . . . ἵππον τὸν Ἀρείονα. Arionem equom Oncius rex Herculi bellum adversus Eleos gerenti concessit; Hercules eo vectus Elidem cepit, Paus. l. s. § 10 ἑλεῖν τὴν Ἦλιν ἐπὶ τῷ Ἀρείονι ὀχούμενον ἐς τὰς μάχας. Postea bello finito Arionem Adrasto Herculem tradidisse, uti testetur versus apud Antimachum ὅς ῥά ποτ' Ἀδρήστῳ τριτάτῳ δέδμηθ' ὑπ' ἄνακτι. Herculem apud Thelpusios Apollinis rursus religionum propugnatorem fuisse, O. Muellerus Dor. I², 201 adn. 2 inde collegit, quod Oncaeatas Apollo ibi cultus sit, Paus. 8, 25, 11. Sed tota haec fabula de Herculis ex regione Thelpusia in Elidem incursione alium quendam, reconditiorem paullulum, sensum involvit. Traditur a locupletibus testibus fieri, ut interdum aquae ex Phenei convallibus per barathra in Ladonem fluvium emittantur tanto

impetu, ut Ladon et Alpheus mirum in modum intumescant. Olympiam interdum talibus inundationibus obrui. Mirifica Cereris matris a Neptuno compressae imago eiusmodi, opinor, aquarum impetus vehementissumos significat.

Exposuerat de hoc naturae rerum spectaculo Eratosthenes, cuius enarrationem Strabo VIII, 389 reddit: Pheneatarum fines in praealtam convallem devexos ab Aroanio fluvio ('Ανίαν habent libri Strabonis, emendaverunt Leake et Curtius Pel. I, 210, not. 4. cf. Athenaeum VIII, 331 E) magna aquarum mole inundari; sed adesse subterraneas voragines, quae ζέρεθρα vocentur, quibus aquae ex Pheneatica convalle magno impetu in Ladonem effundantur. Ladonem aquarum vim Alpheo rursus tradere, Str. p. 389 (τὸ ὕδωρ) ἐκ τῶν πεδίων ἐκπεσὸν εἰς τὸν Λάδωνα καὶ τὸν Ἀλφειὸν ἐμβάλλειν, ὥστε καὶ τὴν Ὀλυμπίας κλυσθῆναί ποτε τὴν περὶ τὸ ἱερὸν γῆν, τὴν δὲ λίμνην συσταλῆναι. Ladonem eiusque fontes cum illis voraginibus occultarum venarum communione cohaerere; his enim obstructis Ladonis quoque fontes exsiccari, Str. l. s. συμπεσόντα τὰ . . . βέρεθρα ὑπὸ σεισμοῦ . . . μονὴν ἐποίησε τοῦ ῥεύματος μέχρι τῶν κατὰ βάθους φλεβῶν τῆς πηγῆς. cf. Curt. Pel. I, 188; 210. Nostris quoque nunc temporibus eiusmodi Ladonis inundationes ex Pheneaticis aquis ortae observatae sunt, qua de re luculentus testis Ludovicus Ross, Reisen durch Griechenland vol. I p. 107*) et Curt. Pel. I, 395, 18.

16. Herculis contra Augiam bellantis imagine haud obscure Ladonis et Alphei aquarum in Elidem erumpentium impetum significari.

Non mirum videri poterit, de terrae Pheneatidis subterraneis voraginibus, quae aquam in convallem Phenei effusam hauriunt, fabulas mythicas ortas esse. Atque Herculis potissumum numen talium operum auctorem investigantibus sponte se offerebat, Paus. 8, 14, 2 τὰ δὲ βάραθρα οἱ Φενεᾶται ταῦτά φασιν εἶναι χειροποίητα, ποιῆσαι δὲ αὐτὰ Ἡρακλέα. Eandem rem loco clarissimo et dictionis ornatu pulcherrimo Catullus 68, 109 enarrat: *barathrum,* || *quale ferunt Graii Pheneum prope Cylleneum* || *Siccare emulsa pingue palude solum,* || *quod quondam caesis montis fodisse medullis* || *audit falsiparens Amphitryoniades.* Ab his voraginibus seu barathris fossa illa ingens distinguenda est, triginta pedes alta, quam ipsam quoque Hercules duxisse dicebatur eo consilio, ut fluvii Olbii seu Aroanii aquas recto legitimoque cursu ad voraginum illarum ostia adduceret, Paus. 8, 14, 3 διὰ μέσου δὲ ὤρυξεν . . . τοῦ Φενεατῶν πεδίου ῥεῦμα εἶναι τῷ ποταμῷ τῷ Ὀλβίῳ. Iam igitur tertia quaedam narratio de Herculis adversus Augiam bello nata est. Huius vero fabulae vetustissima sententia non sicut in fabulis supra expositis populorum hostilium concursus et certamina sunt, sed naturae rerum conversiones et turbae. Quare huius belli campus et

---

*) En ipsius viri praestantissumi verba: im Mai 1834 war er (der Ladon), in Folge des Durchbruchs des Sees von Pheneos, der seine seit zwölf Jahren verstopfte Katavothra gerade am 1. Januar bei einem starken Erdbeben wieder geöffnet hatte, so tief und reissend geworden, dass man nur auf einer Fähre über ihn setzen konnte.

quasi theatrum vallis est Alphei; Herculem igitur una cum Augia Pylii et Pisaei oppugnant, Paus. 5, 3, 1 ἤμυναν δὲ καὶ Ἠλείοις οἱ ἐκ Πύλου τοῦ ἐν τῇ Ἠλείᾳ καὶ οἱ Πισαῖοι. Pheneatidis et Thelpusiae terrae quemadmodum aquarum cursu et communione cohaerent, ita incolarum quoque cognatio quaedam et ingeniorum similitudo fuisse videtur; cuius rei hoc magnum documentum est, quod ambo populi Cereris cultui admodum dediti sunt et sanctissime eius deae sacra colunt, Paus. 8, 15, 1 et 8, 25, 3. 5. Itaque simili modo Herculis quoque numen apud ambos populare ac domesticum factum esse minime mirum est.

17. Clades, qua Hercules Eleos afflixit, quod sine vestigio transiit, documento est, fabulam recentis originis esse.

Vidimus quibus viis itineribusque Herculis numen in Elidem pedetemptim immigrarit; semper belli cuiusdam diuturni nec incruenti specie in fabulis propagatio illa introducitur. In narrationibus traditis semper post graves certaminum vicissitudines Hercules postremo splendidissimam sibi victoriam parit. Augias ipse secundum plerosque testes, velut apud Pindarum Ol. X (XI), 42, ab Hercule obtruncatur; unus Pausanias Augiam post cladem regni senem factum refert 5, 3, 3 Αὐγέαν μὲν τὸ χρεὼν ἐπέλαβε προήκοντα ἐς γῆρας. Verum hic belli exitus Herculi gloriosissumus posterioribus demum temporibus, hoc est post Oxyli in Elidem adventum, fictus et adiectus est, quod argumentis, opinor, clarissimis demonstrari potest. Nam Herculis, quae fertur, de Augia victoria nequaquam Augiae posterorum dignitatem in Elide regiam imminuit, immo tantum abest, ut illa Herculis incursione regum e Phorbantis Lapithae filii stirpe regnum tollatur, ut conspicua nobilissimorum principum serie diu illa floruerit. Huius rei praestantissimum testimonium exhibet locus cum heroum eorum memoria in navium catalogo Il. β, 615—624. Ibi nulla est Herculis posterorum, qui in Elide regnarint, ne tenuissima quidem mentio, nec quidquam omnino de Heraclidarum in Elide dominatione ante Oxyli adventum traditur. Immo cum quadripartita sit Elis et gens Epeorum, regnum haud dubie soli Phorbantidae obtinent. Primam alteramque Epeorum partem in sua dicione habent Amphimachus et Thalpius, Actoridarum, Cteati et Euryti, filii (Paus. 5, 3, 3). Actor ipse Phorbantis est et Hyrminae filius (Eust. ad Il. β, 615). Hyrminam urbem, ubi sedem regiam Actoridae obtinent, Pausanias 5, 1, 11 ab Actore conditam memorat. Tertiam partem Diores Amaryncei filius moderatur Il. β, 622 τῶν δ' Ἀμαρυγκείδης ἦρχε κρατερὸς Διώρης, Amaryncеus vero filius est Alectoris et Diogeneae, Eust. ad Il. β, 615. Regnabat ille Buprasii, quod indicatur loco Il. ψ, 630 ὡς ὁπότε κρείοντ' Ἀμαρυγκέα θάπτον Ἐπειοί || Βουπρασίῳ, παῖδες δ' ἔθεσαν βασιλῆος ἄεθλα. Quartae denique Elidis parti praeerat Polyxenus, Agasthenis filius, Augiae nepos, Il. β, 624, nam Phyleus post Augiae patris mortem Elidis regnum (Apollod. 2, 7, 2, 5) non ipse inierat, sed fratri Agastheni concesserat; Paus. 5, 3, 4 Φυλέως δὲ, ὡς τὰ ἐν Ἤλιδι κατεστήσατο, αὖθις ἐς Δουλίχιον ἀποχωρήσαντος . . . βασιλείαν . . . τὴν Ἠλείων Ἀγασθένης ἔσχεν ὁ Αὐγέου. Elei quadraginta in universum naves miserant; denae unicuique eorum ducum parebant.

18. Manserunt etiam post regnum ab Oxylo occupatum Phorbantidarum in sacerdotiis obeundis iura hereditaria. Augiae sacra anniversaria.

Sed eorum heroum unus Polyxenus e bello domum rediit, Amphimachum Hector interemit Il. ν, 185; Dioren Amaryncei filium Pirous Imbrasida Il. δ, 517 ἔνθ' Ἀμαρυγκείδην Διωρέα μοῖρ' ἐπέδησεν. Nec Thalpium in patriam reducem factum credibile est, licet ignotum sit, quomodo interierit; Pausanias 5, 3, 4 certe de solo Polyxeno refert; eum, cum salvos redisset, regnum filio Amphimacho reliquisse, quem in Amphimachi, bello interempti, honorem eodem nomine nuncuparit. Amphimachi iunioris filius et in regno successor Eleus secundus est; nam prior quidam, Endymionis filius, aliquot aetatibus ante regnaverat (Paus. 5, 1, 8); Eleo igitur altero in Elide rege Heraclidae ad incursionem in Peloponnesum faciendam se accinxerunt, Paus. 5, 3, 5 ἐπὶ Ἠλείου βασιλεύοντος . . . ὁ Δωριέων στόλος . . . ἠθροίζετο ἐπὶ καθόδῳ τῇ ἐς Πελοπόννησον. Eleum denique secutus est Dius, qui ex notissimo illo pacto (Paus. 5, 4, 1; Str. VIII, 357 extr.), quo duorum populorum bellum uni monomachiae commissum est, Oxylo Aetolo regnum petenti cessit. Oxylus vero et advenae Aetoli regiam Phorbantidarum stirpem, quae per multas aetates in Elide gloriosissume regnaverat, cuius postrema in regia dignitate suboles Dius fuit, minime animo hostili et infenso omnibus honoribus hereditate acceptis privarunt; immo, Ephoro testa, una dignitate regia excepta, eius familiae posteris liberalissume consuluerunt muneribusque eos ornarunt, imprimis vero summa religione hoc curarunt, ut heroibus, inter quos principem locum ipse Augias obtinebat, divini honores et sacra debita rite continuarentur; Paus. 5, 4, 2 καὶ τῷ Δίῳ τε (ὁ Ὄξυλος) ἀπένειμε γέρα, καὶ ἥρωσι τοῖς τε ἄλλοις κατὰ τὰ ἀρχαῖα ἐφύλαξε τὰς τιμάς καὶ Αὐγέᾳ τε τὰ ἐς τὸν ἐναγισμὸν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς καθεστηκότα.

19. Quod Pausanias testatur, Iphito demum auctore Herculem in Elide divinos honores accepisse, fide dignissumum videri.

Haec igitur, quae de honoribus Lapitharum antiquae stirpi habitis ab testibus luculentissimis traduntur, argumento profecto sunt, quam firmiter illius familiae memoria in animis populi haeserit. Ab altera vero parte mirum est, quantopere etiamtunc Herculis memoria delitescat et alto silentio prematur. Ipse Oxylus, Haemonis filius, Thoantis nepos, Andraemonis pronepos (Paus. 5, 3, 6), Heraclida quidem non est, Herculis tamen stirpi cognationis vinculo coniunctus; Thoantis enim mater, Andraemonis uxor, Gorga est, Deianirae soror; Apollod. 1, 8, 1; Paus. 5, 3, 7 ἦσαν δὲ οἱ Ἡρακλεῖδαι συγγενεῖς . . . τοῖς ἐν Αἰτωλίᾳ βασιλεῦσι . . . ἀδελφαὶ Θόαντι τῷ Ἀνδραίμονος καὶ Ὕλλῳ . . . ἦσαν αἱ μητέρες. Herculis divini in Elide honores admodum sunt recentis originis; nam Iphitus demum Oxylida (Paus. 5, 4, 5) Eleis ut Herculem numinis divini loco colerent auctor fuit. Huius rei certissima testimonia habemus, Paus. 5, 4, 6 ἔπεισε δὲ Ἠλείους Ἴφιτος καὶ Ἡρακλεῖ θύειν, τὸ πρὸ τούτου πολέμιόν σφισιν Ἡρακλέα εἶναι νομίζοντας. Paus. 6, 25, 2 Ditem patrem Her-

culi infestum fuisse tradit, quod Pylios, qui soli mortalium Ditem patrem colant, ἀνθρώπων δὲ ὧν ἴσμεν μόνοι τιμῶσιν Ἅιδην, bello sollicitare ausus sit: ἀφικέσθαι οὖν καὶ Πυλίοις τὸν Ἅιδην συμμαχήσοντα τῇ ἀπεχθείᾳ τοῦ Ἡρακλέους, ἔχοντα ἐν τῇ Πύλῳ τιμάς. Vetustissumum huius certaminis testem iam Homerum esse Il. ε, 395.

Posteaquam igitur de Herculis divinis honoribus admodum recenti tempore, propter magnam etiamtunc Phorbantidarum apud Eleos auctoritatem et opes, in Elide constitutis res stabilita est, sponte propemodum sua Olympiam oculi se convertunt. Quaeritur enim, utrum Olympiae Herculis numen et sacra item ut in Elide recentia, an aliquanto fortasse vetustiora, vel ab antiquissimis etiam temporibus recepta et patria ibi fuerint. Hoc quod postremum posuimus verum esse, vir praestantissimus et immortalis in hoc studiorum genere memoriae professus est eamque opinionem aliis quoque praeivit, Odofredus Mueller, Dor. I², 448 et 254, cui adsensus est Deimlingius, Lel. p. 146. Muellerus hoc argumento utitur, fieri omnino non potuisse, ut ex Elide, in qua terra Hercules vetusto illo tempore haudquaquam in magno honore fuerit, Herculis numen in Pisatidem, ubi celebratissumum sit, propagaretur. Haec quaestio ad Olympiae origines remotissimas pernoscendas maxumi haud dubie momenti est; sed ut plene et cum aliquo fructu absolvi possit, multis ambagibus multisque antiquorum scriptorum testimoniis exploratis et excussis opus est, quam ob caussam rem multum otii et peculiarem novamque commentationem sibi postulantem ad tempus differendam censuimus; recte enim Pindarus Ol. X, 53 ὅ τ' ἐξελέγχων μόνος || ἀλάθειαν ἐτήτυμον || Χρόνος· τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω κατέφρασεν.

Sed haec hactenus de illis thesauris, quos ex venerandae antiquitatis ruderibus effodere conamur. Nunc iam ad maius altiusque officium animus erigendus est, in quo ipso inest thesaurus quidam incomparabilis, non ille tenebris abditus, sed solis instar splendens et per omnium civium pectora effusus: fidei illud et amoris vinculum, quo patria universa cum augustissimo principe, patriae parente dilectissimo coniuncta est. Indicenda igitur sunt sollemnia, quibus ab hac universitate dies faustissimus celebrabitur, quo die IMPERATOR GERMANORVM GLORIOSISSIMVS REX NOSTER CLEMENTISSIMVS GVILELMVS lucem adspexit. Publicae autem gratulationis et communium votorum interpres existet IOANNES FRIDERICVS EQVES DE SCHVLTE, RECTOR VNIVERSITATIS MAGNIFICVS. Eius ut orationi ceterisque sollemnibus prompto lubentique animo intersint, ipsius inlustrisque senatus nomine curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus regios imperatorios urbicos spectatissimos et quicunque rebus nostris ac litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia rogamus invitamus.